

Q. 256, 29.

Z c
5065

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
AD
FUNERALIA SACRA
HONORIBUS SUPREMIS
VIRI

*Præ-Nobilissimi, Amplissimi, Consul-
tissimi & Excellentissimi*

DN. LUCAE LYSERI

Jcti Celeberrimi, Serenissimi ac
Potentissimi Electoris Brandenburgici,
nec non Per-Illustris ac Generosissimi Co-
mitis à Mansfeld Consilarii Aulici
longè gravissimi.

Hora III. destinata

Civium ACADEMICORUM
præsentiam

Amanter & officiosè
invitat.



X 2055122



Comment.
ad Genes.
f. 744.

Gen. 49.

Deut. 32, 50.

Hist. Eccles.
p. 362. seqq.

Heb. 12.



FT Jacobi & Josephi, sanctissimæ Patriarcharum bigæ, in Palæstinam ex Ægypto deportata sunt ossa. Uterque enim tumulari in terrâ Canaan, & Majorum inferri sepulcro mirum quàm auxiliè desiderabat; nimirum, non ob hanc tantum causam, ut populus haberet, Luthero exponente, perpetuum monumentum patrum suorum in illa terrâ, ne refugeret in Ægyptum, aut ad alia auxilia gentium, verum etiam ut meminissent patres habuisse promissionem, & cogitarent, hi nobiscum dormiunt, cum quibus locutus est Deus, à quibus verbum & promissionem accepimus, ut non sequamur alienos Deos; quanquam nec hæ causæ fuerunt solæ, siquidem & illud significarunt Patriarchæ (ita enim pergit adductus æternæ Veritatis Vindex) se sperare & expectare resurrectionem à mortuis in resurrectione Christi, sicut multi cum Christo resuscitati sunt & apparuerunt multis. At quando populo aggregari suo Jacobus perhibetur, vix est, ut de corpore Majorum sepulcris illato aggregationem illam intelligamus; quippe quam factam dici palam est, simul ac exuvias deposuerat anima, post aliquot demum dierum intervallum in agrum illum Hithæum translata. Quid? quod Moses, cujus sepulcrum ignorabile planè est, collectus ad populos suos legitur, Ut enim sint, qui Mosen à se ipso aut à Josuâ tumulatum velint, Scripturæ tamen à DEO humatum illum asserenti, audaci contra eunt conatu. Nec est, cur sepulcrum Mosis, cui inscriptum: *Moses servus Domini*, à Maronitis quibusdam pastoribus Anno M. DC. LXIV. mense Octobri reperi tum fuisse quis jactet, cum Doctus Judæus quidam (ut prolixè enarrat Hornius) Jeconias Ben Gad Saphottæ habitans, libro integro ostenderit, non Mosis servi Domini hoc esse sepulcrum, sed alterius cujusdam Mosis, multis seculis illo posterioris. Accedit insuper, quòd pulvis terræ & cassus cinis appellari populus vix queat; ut vivum adeò populum esse necesse sit, ad quem animæ defunctorum post mortem congregantur; quo quidem non sola societas Angelorum (hoc enim nimis coarctare populum esset cum Augustino) nec Limbus Patrum, fictitius quippe, nec nisi in Pontificiorum cerebro exstructus, sed πῦρ illud, quod præter Angelos πνεύματα δικαίων τελειωμένων capit, intelligendum est. Non abnuerim tamen hanc phrasin ad eos quoque, qui Majorum suorum sepulcris inferuntur, accommodari non incongruè posse. Utroque certè sensu ad populum seu Patres suos collectum pronunciare nobis nunc licet Virum Prænobilissimum, Amplissimum, Consultissimum atque Excellentissimum Dn. LUCAM LY-

LYSERUM Jctum Celeberrimum, Sereniss. ac Potentiss. Electoris
 Brandenburgici, nec non Illustris ac Generosissimi Comitis à Mansfeld
 Consiliarium Aulicum longè gravissimum. Etenim & Spiritus Ejus quie-
 tis Beatorum Patrum ordinib9 jam adscriptus est, & exuviæ ad Templum
 Nostrum, quod præter tot Academicos Patres & cineres Majorum illius
 ac præceptorû servat, ex Magdeburgo sunt huc tralata. Quæ & ipsæ, cum
 honoris quid jure quodam à nobis exigant, hodiè supremo illo, quem
 Humanitas ipsa dicitare videtur, post auditam Ill. afficientur. A-
 thenienses olim ossa militum, qui contrà Xerxem fortissimè dimicave-
 rant, collecta divino quotannis honore sunt venerati. Romani etiam Se-
 natores Heroum ossa pulvinaribus & lectisterniis imposita in anteriori
 theatrorum parte populo solenniter ostenderunt. Quin & Mahometi-
 stæ in hunc usque diem Scanderbegi aliorumque Heroum ossa asservant,
 nec alium iis cultum exhibent, quàm Sanctis suis Papicolæ, qui ossium
 translationem & venerationem ex ipso Gentilismo in Ecclesiam Christi-
 anam induxere. At nos valere jussu superstitioso ossium cultu,
 Exuviis LYSERIANIS huc transportatis id tantum officii, quod honora-
 tissimis quibusque & præclarè de egregio publico meritis exhiberi fas
 est, persolvemus. Grande jamdudum LYSERORUM nomen est, nec
 saxis saltem, sed monumentis æternæ laudis incisum. Et quem duo
 illi POLYCARPI latent, Pater & filius, qui & numerosa sobole, & fructi-
 bus amplissimis in Ecclesiam Orthodoxam effusis se veros Polycarpus
 universo orbi ostentarunt? Ab utroque sanguinem ducit Nobilissimus
 LUCAS, quorum alterum quidem Avum, alterum Parentem felici quo-
 dam fato sortitus est. Erat autem Pater Vir nostris encomiis superi-
 or Dn. POLYCARPUS LYSERUS SS. Theol. D. & primitus Th. Prof.
 Extra-Ord. in Acad. Wittebergensi, dein Ordinarius Prof. in hac Almâ,
 Consistorii Electoralis Præses, Collegiatae Ecclesiae apud Misenenenses
 Præpositus, ad D. Thomæ Pastor & Diocesi, Lipsiensis Ephorus, Nationis
 Saxonicae Senior, Minoris Princip. Colleg. Collegiatus & Academiae De-
 cem-Vir, de omnibus, quibus functus est, muneribus immortaliter meri-
 tus, & Mater SABINA VOLCKMARIA ex antiquissima eaque Con-
 sulari aliisque dignitatibus in hac urbe Clarissimâ Stirpe orta, & omni pari-
 ter Virtutum laude ornata. Sed de Avo quid dicemus, summo Religio-
 nis Antistite, & cordatissimo maximorum Principum Nathane? POLY-
 CARPUM LYSERUM innuimus, antea Pastorem & Ephorum Brunsvi-
 censem, mox Theol. Prof. in Illustri ad Albim & Generalem Superinten-
 dentem, & denique Serenissimorum Saxoniae Electorum CHRI-



STIANI II. & JOHANNIS GEORGII I. &c. Ecclesiasten primarium
& Sacri Consilii Senatorem. De quo cum vel volumina laudam concinna-
ri de facili possent, tum illud commemorandum potissimum est, quod Invi-
ctissimi Imperatoris RUDOLPHI II. gloriosissimæ memoriæ clemen-
tiam longè prolixissimam expertus fuerit. Pragæ CHRISTIANUS II.
Electo Saxonæ ad Cæsaream Majestatem, ut Patronum ageret
Protestantium, & liberum Lutheranæ Religionis exercitium in Hungariâ
aliisque Cæsareis ditionibus efflagitaret, excurrerat, secum Concionato-
re primicerio POLYCARPO LYSERO adducto. Quorum hic cum
intrepidâ & inconcussâ mente Orthodoxiam adstruxisset, eò usque cle-
mentiam in Aula Cæsareâ adspiravit, ut Imperator solus sæpenuerò, se-
motis omnibus arbitris, tum de Religione Lutherana tum de exercitio e-
jus collocutus cum eo fuerit, nec Insignia saltem Nobilitatis ultrò contu-
lerit, (in quibus facies duæ, crescentis & decrescentis Lunæ, egregiū Ecclesiæ
Symbolum, eæque sibi junctæ & pennis aquilinis tectæ, cum patula ga-
leâ & scuto eosdem Lunæ vultus exhibente) sed literis etiam gratio-
sissimis, Cæsareâ manu exaratis, quæ ceu *κεμήλια* adhuc abs Hære-
dibus asservantur, non rarò compellârit. Hujus POLYCARPI uxor, quæ
Avia LUCÆ contigit, ELISABETHA CRANACHIA erat, nova
illa Cybele, ex qua tot Dii, h. e. Viri Deo pleni & excellentes prodierunt;
quam quidem si ex LUCA CRANACHIO dixerimus natam, sat laudis î-
psi circumdederimus. Quid enim celebrius LUCA I. & II. CRANACHI-
IS, Consulibus Wittebergensibus, nec Sereniss. Saxonæ Electorum tan-
tum, sed Augustissimorum Imperatorum quoque gratiâ insigniter flo-
rentibus? Ac de incomparabili picturæ artificio, quo omnis Europæ ad-
mirationem in se traxerunt, ut nihil jam afferamus, eorum primus intimâ
Megalandri Lutheri amicitia usus est, & tantâ fide in Principem suum JO-
HANNEM FRIDERICUM tum captum extitit, ut, cum in castris CA-
ROLUM V. admirandum illum Imp. salutâisset, isque multa satis ac exi-
mia pro Wittebergensibus esset pollicitus, non fundos latos aut titulo-
rum ingentium nomina, sed incolumitatem Principis sui ac libertatem pe-
tierit, in eâ una felicitatem omnem & suam ipsius & civium positam arbi-
tratus. Sed actus præclaros Amplissimi LUCÆ Nostri percensere nos
par est. Hic tantis parentibus A. Æ. C. M. DC. XX. d. XXIII. Octob. edi-
tus, & municipio Christiano adscriptus præclara mox quæque & tam
nobili furculo digna minitari cœpit. Nec remoram ad magna tendenti in-
jicere Parentum Magnorum mors poterat, cum & eorum suppleret vices
Dn. D. WILHELMUS LYSERUS patruus, & ipse LUCAS inexstinguibili
qua-

quadam discendi cupiditate flagraret. Literis probè in patriâ imbutus svasu
Tutoris Venerabilis ad Leucoream, ubi Cœlestem veritatē cum immortalī
gloria professus Avus fuerat, se contulit, imbibitâque illīc Philosophiæ non
superficiariâ cognitione, post biennium ad patrias Athenas hasce remea-
vit, & post habitam de Motu Cœli lectionem, ac binas disputationes, alte-
ram de Variis Mutationibus Rerum publicarum sub D. ENOCHI HEI-
LANDI, alteram de Sensibus externis sub Dn. M. DANIELIS MULLERI,
nunc Theol. Doct. & Archidiaconi ad D. Nicolai bene-merentissimi mo-
deramine, honores etiâ à Sophorum Lipsiensium ordine supremos retulit;
& ne privilegiorum, quæ Magistris Lipsicis commodare non parùm sub-
inde solent, aliquando exors esset, Causam efficientem ex primâ Philoso-
phiâ in exedra Philosophici Acroaterii ventilandam præses exhibuit. At-
que tùm quidem in bivio quodam versabatur LYSERUS. Animus sane
mirifico quodam affectu ad Themida amplexandam propendebat; sed
Patruī voluntas, quem Hermathenæ loco habere decebat, Theologiam,
Majorum exemplo, excoli ab illo volebat. Cui morigeratus Augustani
Treboccorum, ubi & eruditione Theologicâ & famâ quaquaversum
sparsâ florebat Duum Viri illi incomparabiles DORSCHÆUS &
DANNHAUERUS, Studiorum Theologicorum promotricem elegit,
Theologorum Argentoratensium illo Hospite & Doctore in Collegiis
non unis, hoc in Historiâ Ecclesiasticâ hodiegetâ fidelissimo usus. Ela-
psus annus cum dimidio erat, cum à Tutore, Theologo item celeberrī-
mo, lustrare Belgium juberetur. Dicto itaque audientem ut præberet
se, eò iter suum instituit, perlustratis in itinere illo Francofurto aliisque
Civitatibus Imperialibus, Spira, Wormatiâ, Moguntia, Colonia Agrippi-
nâ; nec non munitissimis urbibus, Weselia, Reinberga, & decantatissi-
mo illo fortilitio Schenckenschanzio. Ultrajectum cum venisset, & ho-
spitem & daduchum in Theologicis habuit D. CHRISTIANUM MAT-
THIÆ, visisque Amstelodamo, Antverpiâ, & à Comitibus Batavorum
famigerabili Hagâ, aliisque amœnissimis locis, in Frisiam trajecit, in A-
cademiis illius Franekerana & Groningensi aliquantulum temporis
commoratus. Rediturus in Saxoniam, Emdam, Auricum, Comitatum
Oldenburgicum, Bremensem Archi-Episcopatum, Hamburgum, Lube-
cam, Luneburgam, Helmstadium & tandem Wittebergam, inq; eâ, quem
Patruum & Tutorem venerabatur Dn. D. WILHELMUM LYSERUM
Professorē Theologiæ eximium salutavit. Sed dulcius solum natale erat.
Quare Lipsiam revertit, & eruditionem hinc inde conquistam publico
approbaturus, post publicam de Libro Viæ lectionem, de Conversione



hominis per pœnitentiam sub magno illo Orthodoxiæ propugnatore
HULSEMANNO disceptavit. Quibus ritè ac laudabiliter peractis Can-
didatis quidem Theologiæ accensus, sed extincto Tutore venerando,
cum magna hæreditatis paternæ pars morosis debitoribus commissa
esset, Processus Saxonici acquirere sibi notitiam coactus est. Quibus re-
rum in fluctibus cum velut duo Helenæ sidera ipsi allucerent Jcti sum-
mi, B. CARPZOVIVS & D. JOHANNES CHRISTOPHORUS MAR-
CI &c. non difficulter in amorem Themidis jam pridem amatæ retra-
hi potuit, præsertim cum Affinis ejus honoratissimus D. MARCI & Ju-
stinianæ Institutiones & Digestorum paratitla à Wesenbecio pertracta-
ta accuratissimè ipsi elucidaret. Jamque Aldorfium aut Tubingam medi-
tabatur, se subtracturus tandem tricis domesticis, & collecto velut animo
Jurisprudentiæ vacaturus. Verùm Reverendiss. & Sereniss. Princeps AU-
GUSTUS, Postulatus Administratör Magdeburgensis &c. ubi, quem in
sinu suo fovebat, Illustrem & Generosum Comitem à Mansfeld, ad exte-
ras dimittere regiones constituisset, non alium quàm LYSERUM hunc
ad maxima gerenda natum, sui Comitis comitem atque Ephorum esse vo-
luit. Cujus nutus cum imperii quid habere videretur, non deesse ille vo-
luit huic oneri suscipiendo, quicquid etiam molestiarum devorandum in
coferendo foret. Electâ quippe Tubingâ studiorum sede, post lustra-
tas urbes Gotham, Isenacum, Fuldam, Francofurtum, Moguntiam, Wor-
matiam, Franckenthalium, Spiram, Heidelbergam & Stutgardiam, se illuc
recepit, & ultrâ sesquiennium sub celeberrimi Jcti LAUTERBACHII
vexillo in castris Juridicis militavit. Instabat tùm novi Imperatoris ele-
ctio Francofurti solennissimè peragenda. Itaque & eò deduxit Comitem
ex Augusti reverendissimi mandato, ac postea Herbipoli, Noriberga, Al-
dorffio & Ratisbona perspectis, non Bavariam saltem, ejusque firmatissi-
mas Urbes Ingolstadium & Monachium, sed Sveviam quoque, inque ea
Augustam Vindelicorum, Ulmam, Lindaviam aliasque Civitates cum
lacu Botamico, imò & Helvetiæ partem ad Rhenum sitam & corporis &
animi oculis usurpavit. Sed iter Gallicum urgebat Princeps Celsissimus.
Propterea Brisaco & Friburgâ perreptatis, ad Almam Argentinensem re-
migravit, se penso illic Gallico absolvendo accincturus. Quod dum face-
ret, autore τῷ πατρί MARCI, quem Patris instar semper habuit, ab Ulpi-
anis Argentoratensibus Doctoris Juridici insignia ea, quâ fas, modestiâ
petiit. Quibus dignus ubi in æstu tentaminis & textuum difficultium e-
nodatione inventus esset, ANNO M. DC. LIX. d. XIII. Octob. voti
compos redditus est promotore Jcto vix comparando Dn. JOHANN.
REB-

REBHANIO & Rectore Theologorum Principe Dn. CONRADO
DANNHAUERO. Relatis hisce eruditionis Juridicæ præmiis primùm
universam cum Illustri Comite Helvetiam pervagatus, digressus in Galli-
am est, & postquam Lugduni aliquantisper hæsit, caput ipsum Urbium
Gallicarum, Lutetiam Parisiorum intravit. Quæ quò plura observan-
da adveniēti cuique exhibet, hōc diutiùs LYSERUM curiosissimum
detinuit. Nam semestre illuc integrum substitit, & itinere, quod vo-
cant, minori ad Ligerim absoluto, huic Urbi denuò excutiendæ tres
menses impendit. Neque enim sollicito studio, qui plerorumque pere-
grinantium error vel morbus est, Apicii Culinæ & Messalinæ fornices
indagavit, nec structuras saltem & monumenta, quæ primo intuitu sta-
tim apparent, sed in Status Rerum publ. in Leges, Magistratus, Consilia,
Judicia, Principes ac subditorum populorumque naturas varias ac mo-
res inspexit. Idem factitavit in Angliâ, cujus nobilissima oppida, Lon-
dinum, & Oxoniam cum fixius esset intuitus, Lutetiam Parisiorum
repetiit, ac postmodùm & Belgium Hispanicum & confœderatas septem
Provincias illas percuravit. Quibus itineribus omnibus per septenniū
spatium feliciter transactis Illustre depositum suum per Westphaliam
& Ducatum Brunsvvicensem ad Comitatum Mansfeldensem reporta-
vit. A. M. DC. LXIII. Labores tot exantlatos quid aliud excipere æ-
quum erat, quàm præmia & præclara honorum magmenta? Et anno
quidem LX. abs Comite Generosissimo suo axioma Consilarii Aulici
jam retulerat. Sed in Saxoniam redux factus, Districtus, qui Reveren-
diss. Capituli Magdeburgensis est, Præfectus & Judex secularis fuit
constitutus. Quo in officio ut rei quoque familiari consulere, lætis &
à DEO ipso secundatis auspiciis Consortem tori ac vitæ adjunxit sibi Vir-
ginem Nobiliss. & tam corporis quàm animi dotibus exsplendescen-
tem ANNAM REGINAM, ex Viro Amplissimo, Consultissimo & lon-
gè Prudentissimo DN. LEONHARDO HERMANNO, Lipsiensium
Consule spectatissimo, & matre, Matronarum Philurearum fidere AN-
NA MARTHA, nata GROSIA procreatam A. LXIII. d. XV. Junii.
Quâcum uti concordiam aluit mellitissimo amore & sanctissimâ fide
combinatam, ita suavissimos etiam ex eâ fructus tulit, POLYCAR-
PUM, filium desideratissimum A. LXIV. d. XXIV. Jul. & filiam longè
carissimam ANNAM MARTHAM A. LXX. d. IV. Jan. Nec infœcun-
dior fuit Prudentia, quæ altera ejus conjux videri poterat. Etenim &
illa novos honores peperit, siquidem A. LXVIII. d. XXIII. Nov. à Po-
tentissimo & Serenissimo Electore Brandenburgico ex Regio Monte
Con-

Zc 5065 OK

Consiliarius vocatus, & anno subsequente d. III. April. splendidissimo hoc munere Coloniae ad Spream, juramento praestito, inauguratus solennissimè fuit. Sed uti lubrica aliàs via per honores est, dicente Gramondo Gallorum Polybio, & plerumque fallax, adeò ut quandoque referre gradum dici possit, qui progreditur, ita & stabilis honor nulli mancipio datur. LYSERUS enim, non invidia dejectus est apice suo (nam & inconcussum retinuit honorem & clementissimum pariter Electorem) à morte tamen, quæ veluti Ostracismo quodam Viros de Rep. optimè meritos exesse perpetuum jubet, & spebus & rebus omnibus subito deturbatus jacet. O instabiles rerum vices! & spes de tanto Viro tam citò evanescentes! At ita fieri amat in mutabili hoc & multis obnoxio casibus tempore. Casus hujusce prodromus fuit catharrus, qui cum d. XXX Maji difficultatem respirandi induceret, mox d. II Junii vitam ipsam, nihil quicquam proficientibus Medicorum Consiliis ac pharmacis, praclusit. Verum verò uti multi cadunt, ut augustius resurgant, ut ait Seneca, ita & LYSERUS Amplissimus inopina morte subrutus meliore sui parte ad gloriam vitæ alterius ineffabilem adspiravit. Neque enim cum Studio Theologico pietatem simul exuerat, sed, quod Aubertus Miræus de Joachimo Hoppero Jcto & Consiliario Hispanico attestatur, in mediis curarum undis, rei que publicæ administrandæ negotiis, sacras etiam literas pius homo tractabat & vitam religioso viro dignam ducebat, magna innocentiae sanctitatisque opinione. Itaque & præmia retulit anima piis omnibus & constantibus CHRISTI confessoribus destinata. Nec corpus honoris omnis planè expers linquitur. Jam enim illatum est in Majorum suorum dormitorium, resurrecturum olim & coelestibus gaudiis maclandum, & nunc quoque ab Almâ Matre supremo officio, pro eo ac par est, solenniter cohonestabitur. Cui rei exequendæ cum comitatu stipatiore sit opus, VOS PATRES ac CIVES ACADEMICOS, ut Præ-Nobilissimi LYSERI funus tum ob Virtutes ejusdem celebratissimas, tum ob Parentis POLYCARPI ingentia in hanc Almam merita prolixè frequenterque prosequamini, seriò ac diligenter monemus. P.P. Lipsiæ d. 23. Jul. A. E. C. M. DC. LXXII.

Literis Celerianis.

VOT
m. 5

QK. 256, 29

R
ACADE
FUN
HONO

*Præ-Nobili
tissim*
DN. L
Jcti Celeb
Potentissim
nec non Per-
mitis à

Civium A

Z c
5065

NSIS

MIS

onsul-

ERI


ni ac

urgici,

i Co-

M

X 2055122



LIOTHEK
ALE)

